

vobis, » II Reg. xiii, 28. Hoc sciebat S. Paulus, qui proinde intrepidus inerebat se periculis, dicens : « Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, » II Corinth. iii, 5. Potens est enim Deus nos omni periculo eripere, ut eripuit Davidem, Psalm. v, 43 : « Domine, ut scuto bone voluntatis tue coronasti nos; » et S. Paulum, II Corinth. i, 4, et Danielem de lacu leonum, et tres pueros de fornace Babylonia, et Jonam de ventre ceti.

Secunda, quia majus a Deo iudice nobis instat periculum, si ejus vocationem fugiamus, ut fecit Jonas; si ejus talentis nobis concreditis ad ejus voluntatem et gloriam non utamur. Nota est parabola servi defodientis talentum, qui damnatus a Domino audivit : « De ore tuo loquor, serve nequam, etc., quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exigessem illam? » Luca, xix, 22, de quo vide S. Augustinum, lib. De Fide et Oper. cap. xvii. Huc facit illud S. Ambrosii, lib. I Offic. cap. iii : « Videamus ne reddamus rationem pro otioso silentio. Est enim et negotiosum silentium, » ut fuit in Susanna silenter Deum invocante, Daniel. cap. xiii, 38 : « Et est silentium otiosum, » ut est eorum qui tenentur loqui, docere, corripere, exhortari alios. Sicut ergo libertas libertate perit, quies quiete, otium otio; ita ex adverso periculum non nisi periculo propulsatur, ac pax inter hostes non nisi bello paratur, et otium negotio.

Evomit. — Hæc vox significat Jonam ita gravasse, arctasse, impedisit respirationem, et afflixisse ventrem ceti, ut coegerit eum evomere, sicut stomachus cibum noxium a quo lincinat et affligitur, cum violentia rejiciens vomit. Ita Christus descendens in mortem et infernum ita ea afflixit, ut non tantum coegerit ea se remove, sed etiam ut ea occiderit, perinde ac ichneumon per os intrans in ventrem crocodilli, cum erodit et occidit, teste Plinio lib. VIII, cap. xxv. Hæc est quod ait Osee cap. xiii, 14 : « Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. »

Ex hoc loco censent nonnulli Jonam fuisse unum e Sanctis qui resurrexerunt cum Christo, ac cum eo tam in corpore quam in anima gloriosi ascenderunt in cœlum, Math. xxvii, 52. Si enim Adam, Job, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, David, Job resurrexerunt; ergo et Jonas. Nam ipse præ ceteris solus resurrectionem Christi tertio die futuram prophetavit, et reipsa representavit, dum tertio die e ventre ceti, quasi e sepulcro redivivus surrexit. Ipse ergo apertissimus erat testis resurrectionis Christi, poteratque dicere Judæis: Ego sum Jonas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum a Deo ut idipsum jam peractum esse tester. Testor itaque hunc esse Christum a me præannuntiatum, eumque vere tertio die a morte suscitatum esse, sicut ego tertio die e ventre ceti suscitatus sum, ut hanc ejus

suscitationem præfigurarem. Ita Pineda in Job, cap. xix, 26, ubi ex illis verbis Job : « Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum, » probabiliter colligit Job resurrexisse cum Christo. Hic enim est Jesus, id est salvator, quem se visurum prædicit, ob meritum tot tantarumque afflictionum, quibus Christum patientem representavit.

Anagogice ex Jona e ceto redivivo probat resurrectionem corporum S. Irenæus, lib. V Contra Hæres. cap. v, et lib. III, cap. xxii, ubi simul ex eodem ostendit magnificentiam Dei perfici in infirmitate et obedientia hominis : « Sicut enim, inquit, patienter sustinuit absorberi Jonam a ceto, non ut absorberetur et in totum periret, sed ut evomitus magis subigeretur Deo, et plus glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset; et firmam penitentiam faceret inimicis ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, conterritos ab eo signo quod factum erat circa Jonam, quemadmodum Scriptura de his dicit: Et reversi sunt unusquisque a via sua mala, etc. Sic ab initio patiens Deus hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et preparans adinventionem salutis, quæ facta est a Verbo per signum Jonæ his qui eandem cum Jona de Deo sententiam habuerunt, et confessi fuerunt et dixerunt: Servus Domini ego sum, et Dominum Deum celi ego colo; ut insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a mortuis et clarificet Deum, » etc. Et inferius : « Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus existat Domino. Cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et Dominum, quoniam in tantum immortalis et potens est, et ut mortali immortalitatem, et temporali æternitatem donet. » Sic et Tertullianus, lib. De Resurrect. carnis, cap. lviii, eandem probat exemplo Jonæ, qui vixit in alvo ceti, « in quo, inquit, naufragia digerebantur; » et trium puerorum, qui in fornace Babylonia ab igne manserunt illesi; atque Eliæ et Enoch : « Qui, ait, necdum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; et hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, et ab omni damno, et ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt, cuiusmodi fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc future integritatis esse documenta? » Quocirca Jona in celo sepulto, indeque resurgenti similis fuit S. Matæi, S. Petri discipulus, qui ab eo missus cum S. Eucharistia et Valerio Trevirim ad evangelizandum, in ipso itinere Helli apud Selestatium febri valida correptus delinquitus est. Socii ad S. Petrum regressi ab eo baculum acceperunt, quem S. Matæo quadragesimo die a morte applican-

Jonas in
dei m-
str pro-
pheta.

Dei et
Eliæ et
Enoch.

Ei 30
terrois.

tes, eum resuscitarunt; ac postea ipse totidem annis supervixit, fuitque apostolus et episcopus Trevirensium et Colonensium, quot diebus jacuerat in sepulcro, puta quadraginta. Ita habet ejus Vita et Chronica Leodiensium, et Otto Fri-

singensis, lib. III Chron. cap. xv, qui tamen pro diebus 40 ponit 33. Sicut ergo Jonas e ceto ejectus 40 diebus Niniivit, ita S. Matæus resurgens 40 annis predicavit Trevirensibus, aliisque Germanis et Gallis penitentiam.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonas prædicat : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. Niniivita cum suo rege agunt penitentiam in jejuniis, cilicio et cinere. Hinc Deus eis parcit.

1. Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens : Surge, et vade in Niniven civitatem magnam : et prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. 3. Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini : et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. 4. Et cepit Jonas introire in civitatem itinere diei unius, et clamavit, et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. 5. Et crediderunt viri Niniivite in Deum : et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. 6. Et perveniit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. 7. Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clamant ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus : et revertatur a furore ire suæ, et non peribimus? 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

Vers. 1. 1. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD JONAM SECUNDO. — Videtur Jonas e ceto liberatus statim adire Jerusalem et templum, ut vota sua Deo solveret : simul sperabat Deum hæc sua poena et penitentia contentum fore, nec amplius irsum ad pergeret in Niniven, cum ecce secundo Deus eum mittit, atque :

Vers. 2. 2. SURGE, ET VADE IN NINIVEN : ET PREDICA IN EA PREDICATIONEM (minas excidii) QUAM EGO LOQUOR ; — Septuaginta, locutus sum, cap. i, 2.

Allegorice, sicut Jonas e ceto quasi resurgens predicavit Niniivitis, ita Christus post resurrectionem suam per Apostolos predicavit gentibus. Ita S. Augustinus, cujus verba recitavi cap. ii, vers. 11.

Vers. 3. 3. ET NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA. — Hebræa et Septuaginta, magna Deo; Chaldeeus, magna coram Domino, id est revera magna, et magna valde, ut vertit Pagninus; magnum enim est, non quod hominibus qui parva mirantur, sed quod Deo optimo maximo magnum videtur; ideoque Deus tanti Niniven ejusque salutem fecit, ut ea de causa eo misertus Jonam, et penitentem pepercerit, ut ipse ait cap. iv, 11. Ita Theodoretus. Errat

Stidas, verbo Semiramis, ubi ait Niniven eandem esse urbem cum Babylone : Ninive enim fuit regia Assyriorum, adiacens Tigri; Babylon Chaldeeorum, adiacens Euphrati. S. Hieronymus vertit : Ninive erat civitas magna Dei, id est maxima. Quæ enim Dei sunt, maxima sunt: sic vocantur cædri et montes Dei, id est maximi et altissimi. Aliter a Castro : Dei, inquit, id est divina, hæc est omnibus numeris absoluta, sicut Deo nihil deest, isque absolutus et perfectus quaquaversum est.

ITINERE TRIUM DIERUM. — Ita et Syrus, et Arabicus uterque. Primo, S. Hieronymus, Haymo et Remigius id accipiunt de circuito Ninives. Erat enim, inquit S. Hieronymus, « tanti ambitus, ut vix trium dierum posset itinere circumiri. » Secundo, q. d. Itinere triduo opus erat ad hoc, ut quis omnes ejus vicus et plateas perambularet. Unde ex Hebræo verbi potest : Ninive erat trium dierum perambulationis. Ita Theophylactus, Lyranus, Valabius et alii. Verum hoc exilius videtur, quam ut ob id Ninive vocetur civitas magna Dei, cum etiamnum mille sint urbes non adeo magnæ quæ tot habent flexus et reflexus; tot plateas, vicos, foras, templa, circos, montes, etc., ut si

quis omnia hæc lustrare velit, facile triduum impendat.

Hinc *tertio*, Sanchez et alii censent Niniven, puta urbem cum suburbii, que utrinque longissima esse solent in magnis urbibus, fuisse tantam, ut ad eam ab uno extremo ad aliud directam via pervadendum, opus fuerit itinere tridui. Hoc enim plane significant hæc verba: « Ninive erat civitas magna itinere trium dierum, » scilicet eundo ab uno extremo per medium ad aliud extremum. Unde et « cepit Jonas introire in civitatem itinere diei unius. » Nota *si cepit introire*, scilicet in directum, non per flexus et reflexus viarum, multo minus per circuitum murorum; non enim in muris, sed in plateis urbis predicabat Jonas. Fuit enim Ninive major Babylone, celestisque urbis omnibus que ante vel post eam condite sunt, ait Ptolemæus et Strabo, ideoque vocatur « civitas magna Dei. » Hinc et Diodorus Siculus, lib. III, cap. I, ait eam, cum a Nino primum condita est, habuisse in circuitu stadia 480, id est miliaria 60, que confluent leucas Gallicæ 20; muros altos fuisse 100 pedibus, et adeo latos, ut tres currus simul per eos incedere possent. Si tempore primæ conditionis sue habitum in ambitu leucas viginti, quot habuit post centum, ducentos, trecentos annos, quibus semper accrevit monarchis orbis in ea residentibus? Demus habuisse viginti circiter leucas in directo transitu, habuerit iter tridui: pedestre enim iter diurnum est septem leucarum. Adde nonnullas fuisse urbes, que longæ erant iter tridui: ergo magis id tribuendum Ninive, que fuit maxima. Antecedens patet primo in Roma, « cujus muros Aurelianus, inquit Vopiscus in ejus Vita, sic ampliavit, ut quinquaginta prope millia murorum ejus ambitu teneant. » Si circumferentia murorum Romæ erat quinquaginta miliarium (milliare faciunt mille passus); ergo diameter, que est quasi tertia pars circumferentiæ, erat septemdecim circiter miliarium: ergo longitudo (hæc enim est diameter) Romæ, a porta in portam per medium urbis, erat septemdecim miliarium, id est sex fere leucarum, quod est fere iter unius diei. Jam adde suburbia, que utrinque tanta, imo majora erant, habebis Romam cum suburbii iter tridui et amplius complexam esse. Certe Plinius de Roma ait, « expatiantia tecta multas urbes addidisse, Tybur (quod Roma distat pene octodecim miliaribus, id est sex leucis), Oriculum, Ariciam. » Rursum, « Nero, » ait Suetonius, « Ostia tenus monia promovere, atque inde fossa mare veteri urbi inducere » destinavit, etsi non perfecit: Ostia a Roma distat quindecim miliaribus. Insuper Dionysius de suo ævo scribit « omnia loca circa urbem habitata sine mœnibus esse, in que si quis influens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum laboraturum, et hesurum ubi desinat urbs, ubi incipiat. Adeo suburbana, inquit, ipsi urbi adherent et innexa sunt, et spe-

ciem immense longitudinis exhibent spectanti. » Sume vel suburbia via Flaminia Oriculum usque, iter est integræ diei; sume ex adversa parte via Appia versus Neapolim, tantumdem, imo amplius (illa enim via ob Campaniæ delicias erat habitatissima, ut patet ex via Appia silice ingenti strata Neapolim usque), facile in Roma et suburbii invenies iter tridui. Quocirca a suburbii tam late patentibus, denominatæ videntur Suburbicariæ regiones; ita enim vocabantur omnes que vicinæ Romæ, intra centesimum ab ea milliæ continebantur, ut crudite docet noster Sironius, libro de hac re, part. I, cap. v. Hinc Lucanus asserit Romam

Populis vicinis frequentem
Gentibus, et generis, coacti si casus, capax
Humani.

Et inferius:

Una domus urbs est, urbs oppida plura claudit.

Lampridius scribit Helioabalum servis impetrasse ut omnes araneas colligerent in urbe, atque eos collegisse ad decem millia pondo, addidit Helioabalum subjecisse, « vel hinc intelligendum quam magna Roma esset. » Rursum Lipsius, lib. III *De Magnitud. Rom.* cap. III, clare probat Romæ fuisse facile quatuor milliones hominum, ut paulatim Italia deserta esset, cum, ut queritur Varro, multi mallent « manus movere in theatro, quam in aratro. » Idem Lipsius, lib. II, cap. VII, ex lapide Romano, docet sub Augusto cenam esse « civium Romanorum capita quadragies centum millia, » id est quatuor milliones, et insuper « sexaginta millia. » Sub Claudio vero Tacitus et alii accensent « sexages novies centena, et sexaginta quatuor millia, » id est pene septem milliones. Cogita quanta fuerit urbs, que tot capiebat incolas, cum Mediolanum, Neapolis, Venetiæ, aliæque amplæ urbes vix contingerent tertiam millionis partem, puta trecenta millia civium.

Secundo, urbs Tartariæ, que *Quinzai* dicitur, complectitur iter trium dierum, et multo amplius. Nam id asserit M. Paulus Venetus oculatus testis, lib. II *De Rebus Oriental.* cap. LXIV, et ex eo Ortelius in *Theatro orbis*, in *Tartaria*: « Scribit, inquit, M. Paulus, quem circa annum Domini 1290 ibidem habitasse constat, Quinzai centena miliaria in gyro comprehendere. Idem Oedericus asserit. Pontes lapideos habet duodecim millia, eosque tam altos, ut naves magnæ erecto malo subter eos transeant. Magnus Cham ibi stativum præsidium triginta millium habet: urbs admodum magnifica est et amena: inde nomine quoque adepta est, cum Quinzai celi civitas interpretetur. » Idem, et ex eo Lipsius loco citato scribit, Quinzai famosum continere sexcenta millia familiarum. Idem M. Paulus, cap. sequenti, ait tributum quod ex regno Quinzai annualim

magno Cham penditur, ascendere, sale tamen excepto, ad quindecim millia millium aureorum, atque sexcenta millia, quas summa immanis est et inaudita.

Minor est Chamalu, id est regia, vel sedes Cham, id est principis (sic enim Tartari suum principem et imperatorem vocant), que, ut scribit M. Paulus lib. II *De Rebus Orient.* cap. x, et alii 32. Noster Nicolaus Trigautius, lib. IV *De Rebus Sinar.* cap. III, et lib. V, cap. XII, validis conjecturis contendit Chamalu esse Pechinum, que est regia regis Sinarum, et Cataium esse regnum Sinarum.

Tertio, Babylon, inquit Diodorus lib. II *Biblioth.* cap. IV, in circuitu habebat stadia 360, id est miliaria Italica 45, leucas Gallicæ quinquaginta. Altera Babylon in Ægypto, sive Memphis, que nunc Cayrus dicitur, Lutetiam Parisiorum quinquies magnitudine superat, inquit Ortelius, et per Nil ripas latissime diffunditur, adeo ut Selymus Turcarum imperator eam a suis licet expugnatum, anno Domini 1516, ingredi non sit ausus. De eadem scribit Aristoteles in *Polit.* lib. III, cap. II, quod cum expugnata esset, hostesque primam urbis partem obtinerent, illi qui ex alia parte urbis habitabant, tertio die nescierint urbem esse captam.

Thebe in Ægypto, testibus Homero, Plinio, Strabone, Pomponio et aliis, centum portas, vel, ut alii volunt, centum aulas habuerunt: totidem olim principum domos, soliteque singula, cum opus erat, decem armatorum millia effundere. Celebratur et Mosca a magnitudine et multitudine domorum. Sigismundus Liber scribit earum numerum fuisse 41,500. Celebrantur et Parisii, ubi suburbiorum hodiernæ ruinæ octo leucarum ambitum superant. In America magnitudine excellent urbes Temixtitan et Panama.

Quod si cui iter tridui in unius urbis Ninive diametro longitudinis nimium videtur, is adiungat alium diametrum latitudinis, qui priorem secat, et cum eo facit quasi crucem. Magnitudo enim urbis Romæ, v. g. ex duabus lineis diametralibus sese intersectibus, petenda videtur; una esset que duceretur a Vaticano, et terminaretur in porta Pia, qua itur ad S. Agnetem; altera duceretur a porta *del popolo*, et terminaretur in porta *Capena*, qua itur ad S. Sebastianum. Id congruentius de Ninive dicitur, eo quod ipsa non rotunda fuerit, sed quadrangula, ac proinde ex duobus diametris sese ad angulos rectos intersectibus, quorum extreme partes terminantur in quatuor quadrati angulis, ejus magnitudo, id est longitudo et latitudo, dimetienda videatur. Sane Aristoteles, III *Polit.* cap. II, indicat aliquas urbes adeo esse magnas, ut non tam urbes, quam regiones muris circumdatæ dici debeant.

Mystice, Ninive continens iter trium dierum representat tres mundi partes, Asiam, Africam,

Europam, quas noster Jonas, id est Christus, per se et per Apostolos obeundo, ad penitentiam et salutem convertit.

Tropologica, vide quanta sit mutabilitas et vanitas rerum humanarum. Ecce Ninive olim maxima, ditissima et superbissima urbs, jam adeo sepulta jacet, ut queratur quo loco existierit. Quare Niniven veterem vix invenies, nec nisi rura et rudera, « et campos ubi Troja fuit. » R. P. Joannes Antonius Marieti, qui ante quinquentium missu Summi Pontificis Syriam et Mesopotamiam obivit, Romæ mihi narravit se fuisse in civitate adjacente Tigri, nomine *Mussal*, quam indigenæ dicebant esse Niniven, indeque non procul ostendebant sepulcrum Ionæ (quod magno Christianorum undique confluentium concursu devotione visitari asserbant) adeo longum et latum, ut ex eo colligere liceat Jonam pene fuisse gigantem. Insuper ingentes ibi cornu murorum reliquias, veteris amplitudinis indices. Porro urbem a Christianis, Turcis atque Arabibus incolit; Armenos tamen ita ob rebellionem Turca attenuavit, ut urbs jam et mœnibus careat, et ex quinque domibus vix due vel tres inhabitentur. Fieri potest ut veteri Ninive diruta, iuxta eam nova sit condita, dictaque *Mussal*; ut Hierosolymæ, Tyro, Tusculo, quin et Romæ ex parte contigit, quamquam ignoremus an vetus et certa sit illa indigenarum *Mussal* traditio. Sane sepulcrum Ionæ non in Ninive, ut ipsi asserunt, sed in Palestina exstare docent Epiphanius, Dorotheus et Isidorus in *Vita Jonæ*, ut dixi in Proemio; nisi dicas Ninivitas hoc sepulcrum Ionæ, licet alibi defuncto et sepulto, excrevisse quasi mausoleum, ad perpetuam tanti viri memoriam (1). Sed esto *Mussal* sit eadem urbs cum Ninive veteri, nihil illa habet veteris ejus magnitudinis et magnificentie. Idem est de Babylone, de Tani, de Ecbatani, aliisque potentissimis olim urbibus. Sic transit gloria mundi, sic transeunt urbes, sic transeunt reges, sic transeunt homines (2). Platina in Felice II Pontifice refert Constantium filium Constantini Magni imperatoris, dum post susceptum imperium cum triumpho Romam aereo carpento ingrederetur, civis obviam factus veneratum esse, ac dictasse illud Cyneæ Pyrrhi legati verum esse: « Tot se videre reges in urbe Roma quot cives, » visis deinde palatiis, Pantheis, templis, columnis, aqueductibus, arcibus trium-

(1) Narrat viatores (J. S. Buckingham, *Voyage en Orient*), in campis ubi fuit Ninive, super unum ex aggeribus qui in longum ex Oriente in Occidentem se protrahant, quemque Nebe Yonos aut Yonas vocant, assurgere tumulum, prope viculum ubi Yonas vocantur traditionem esse Jonæ prophete requiescentem (vide *Annales de Philosophie chrétienne*, tom. IV, p. 361).

(2) Vide de Ninives monumentis que exstant, opus æquisitum D. Flaudin, sive in Collectaneis, cui titulus: *Revue des deux Mondes*, 15 juin, 1^{er} juillet 1845, sive in *Annales de Philosophie chrétienne*, 5^e série, tom. XII, XIII, XIV, XV, XVI.

phalibus, etc., obstupuisse, ac tandem dixisse « naturam vires omnes in urbem effudisse. » Mox Hormisdas architectum suum interrogasse quid de Roma sentiret, qui id tantum sibi placere respondit, « quod didicisset Romam æque mori homines ac alibi, » ut philosophum decebat locutus. Vere Seneca: « Æquat omnes cinis; impares nascimur, pares morimur. » Quocirca sapienter monet S. Chrysostomus, homil. 32 in *epist. ad Hebr.*, in morali, ut ædes ædificemus non in terris mox casuras, sed in cœlis in æternum duraturas: « Nemo, inquit, in civitate que cæsa est sanæ mentis ædificat. Non ædificemus in hoc mundo; post paululum enim casurus est, et cuncta perditum ibunt. Et quid dico quod mundus casurus est? Nos ipsi ante ruinam ejus peribimus, et tormenta sæva patiemur, » etc.

VERS. 4. Cœpit Jonas introire civitatem itinere diei unius. — « Jonas, inquit S. Hieronymus, præcepti et superioris naufragii memor, viam trium dierum, unius diei festinatione complevit. » Quod dictum S. Hieronymi dupliciter accipi potest. *Primo*, q. d. Jonas distans a Ninive itinere trium dierum, ut Deo celerime obediret, totum hoc iter uno die peregit, eodemque die quo ex loco ubi cum cetis evomuit, discessit, pervenit, appulitque Niniven. *Secundo*, q. d. Jonas adeo festinanter obivit concionando totam Niniven, ut uno die eam peragravit, cum alii ad id exigant triduum. Verum neuter sensus hinc loco congruit. Non prior, quia litus Phenicum, ubi a celo ejectus est Jonas, distat a Ninive trecentis leucis: quod iter est ut minimum triginta dierum. Si cum Josepho dicas eum ejectionem in Pontum Euxinum, respondeo: Hic Pontus a Ninive distat centum triginta leucis, idque per arduos montes; ergo ab ea distat itinere tredecim dierum ut minimum. Non posterior, tum quia dicitur: « Cœpit introire civitatem; » ergo ipse tunc vias ejus non complevit, nec peragravit, sed peragrare cepit; tum quia juxta illam expositionem dicendum fuisse: Jonas peragravit civitatem die uno. Jam vero non hoc, sed oppositum dicitur, scilicet: « Cœpit Jonas introire civitatem itinere diei unius. » Quocirca aliam meliorem interpretationem subdit S. Hieronymus dicens: « Quanquam sint qui ita simpliciter intelligant quod in ferta tantum urbis parte predicaverit, et ad reliquam confestim predicationis sermo pervenerit. » Sensus ergo est, q. d. Jonas ingressus est primam urbis partem, que uno die poterat pertransiri: Jonas tertiam urbis partem predicans obivit, ejusque vias et plateas concionando lustravit. Ita Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus. Accedunt Theodoretus, Vatablus, Arias et a Castro. Verum hi censent Jonam non recta via processisse, sed per flexus platearum egrasse, viasque obliquos obeundo circumcirca prædicasse.

ADHUC QUADRAGINTA DIES. — Ita Hebræus, Chaldeus, Aquila, Symmachus et Theodotus. Quare

versio Septuaginta, quos sequitur Origenes, Chrysostomus et alii Græci, atque Arabici Alexandrinus, depravata est. Habet enim: *Adhuc tres dies*; forte librarii *triduum*, id est quadraginta, scripserunt per abbreviationem; unde alii descriptores legerunt scripseruntque *triduum*, id est tres. Aut per ciphras, puta per litteras, scripserunt *q*, quæ index est quadraginta, et eroso, vel minus apparente altero ejus apiculo, pro *q* legerunt *γ* gamma, quæ index est trium: præsertim quia præcessit mentio trium dierum (hoc enim erat iter Ninive) quos confusio specierum, vel trajectio oculorum putarunt descriptores esse eosdem cum hisce diebus predicationis Jonæ. Magna enim scriptorum aliquorum est ignorantia, magna aliorum osecantia, magna aliorum in tantis voluminibus describendis fatigatio, ut facile unum pro alio supponant et scribant, uti egomet in dies expior. Aliqui censent Jonam per singulos dies minuisse numerum; nimirum *Primo* die predicationis suæ dixisse: *Adhuc quadraginta dies*; *secundo*, *Adhuc triginta novem dies*; *tertio*, *Adhuc triginta octo dies*, et ita consequenter, donec perveniret ad tres ultimos, tuncque dixisse: « *Adhuc tres dies*, » etc., scilicet: « Exspectabo vos, num sitis penitentiam acturi, ait Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 149, idque ex traditione scripsisse Septuaginta, et hic exprimere voluisse. Verum hæc conjectura dissonat a textu, qui constanter habet: « *Adhuc quadraginta dies*; » et incerta est nec adeo modum probabilis. Non enim videtur Ninivite usque ad ultimos tres dies distulisse penitentiam. Quocirca prædenter Theodoretus: « Credibile est, inquit, etiam Septuaginta concordem aliis possuisse numerum (quadraginta), sed qui initio scripserunt errasse in hoc, ac deinceps in omnia exemplaria permanens errorem. » Porro S. Augustinus, lib. XVIII *De Civitate Dei*, cap. XLV, censet genuinam lectionem esse: « *Adhuc quadraginta dies*; » Septuaginta vero verfisse: « *Adhuc tres dies*, » ut mysterium quod hic laet de Christo significarent: « *Sive*, inquit, per quadraginta dies, sive per triduum, idem ipse significatus est Christus, per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem suam, et ascendit in cælum: per triduum vero, quia die tertio resurrexit, q. d. In quadraginta diebus ipsum quæro, in quo et triduum poteris invenire: illud in ascensione, hoc in ejus resurrectione reperies: quorum unum per Jonam prophetam, alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, tamen unum atque idem Spiritus dixit. » Hæc forte de causa S. Justinus, *Contra Tryph.*, utramque lectionem junxit et commiscuit. Legit enim: « *Adhuc quadraginta tres dies*, » etc.

Allegorice Jonas est Christus, Ninivite sunt Judei. Ninive est Jerusalem, que quadragesimo anno a predicatione Christi eversa est a Tito et Romanis: Ita Eusebius in *Chron.*

Moritur, de penitentia publici.

Mystice, numerus quadragenarius est symbolum penitentiæ, de quo subtiliter philosophatur S. Augustinus, lib. II *De Doctr. Christ.* cap. XVI. Hinc S. Gregorius in inguinarum lue et mortalitate Romana, qua exstinctus est Pelagius Papa, cui Gregorius ad Pontificatum successit, hortatus est populum ad penitentiam exemplo Jonæ et Ninivitarum, publicasque litanias, easque septem plebes indixit, quibus placatus Deus pestem stultit. Angelus enim stans in mole Adriani (ubi etiam unum ejus locus et imago visitur, indeque moles hæc vocatur Castellum S. Angeli) evaginatum gladium, quo cives feriebat, visus est in vaginam recondere; ac quacumque in processione inferebatur imago B. Virginis, aer crassus, pestilens et flammens videbatur dissipari, purgari et serenari. Exhortationem ejus ad verbum refert Joannes Balaonius in ejus Vita, lib. I, cap. XI, ubi inter multa ait: « Veterinos namque Ninivitarum culpas triduanæ penitentia absersit. Mutemus igitur corda; cilius ad præcem judex flectitur, si a gravitate sua petitor corrigatur. Proinde cum contritio et correctis operibus crastina die ad sepiiformem litaniam devota cum lacrymemente veniamus; qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala que fecimus deprecemur, ut districtus iudex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia proposita damnationis parcat. Rursus S. Petrus, ex Ordine S. Dominici eminens predicator et martyr, anno Domini 1232, aprilis die vigesima nona, qua Ecclesia in Officio divino ejus festum celebrat, in suis concionibus jugiter hoc thema proponebat: « *Adhuc quadraginta dies*, et Ninive subvertetur, » iisque tanto ardore et spiritu populum incendeat, ut omnes passim penitentiam agerent, eamque publicam. Dicebat enim: Tu, o Mediolanum, tu, o Parma, tu, o Cremona, es altera Ninive; si non agas penitentiam tuorum scelerum, illico videbis tuam ruinam: flagellum Dei imminet tibi: converte te ad Deum, et age penitentiam. Docet ergo hic Jonas, et ex eo S. Gregorius et S. Petrus martyr, concionatores populo debere proponere minas et terrores iræ Dei, mortis, iudicii, gehennæ, iisque acriter urgere peccatores ad penitentiam et odium peccati, ut eas evadant, Deumque sibi conciliant. Hi enim sunt mallei contentes petras. Alii oratores sunt quasi musci, quia aures duntaxat mulcent et scalpunt.

ET NINIVE SUBVERTETUR. — cum regno et monarchia Assyriorum, que transferretur ad Nabuchodonosor et Assuerum, ut habent Septuaginta, *Tobia* XIV, 6, id est ad Babylonios et Medos, ut patet *Nahum* II, 8; unde Josephus, lib. IX *Antiq.* XI: « Jonas, ait, in medio civitatis predicavit, quia post brevissimum tempus Asia principatum perderent. » Nota: Hæc Jonæ prophetia fuit comminatoria et conditionata, q. d. Ninive subvertetur, nisi penitentiam egerit, nisi mutet mores, itaque impetret a Deo hanc excidii sen-

tentiam tolli aut suspendi; sicut de facto ejus non sublationem, sed suspensionem impetravit, uti dixi in Proemio. Ita Origenes, hom. 4 *De penitentia*, S. Hieronymus hic, S. Gregorius, XIX *Moral.* XVIII; S. Thomas, I part. *Quæst.* XIX, art. 7, et alii. Aliter respondet S. Gaudentius, tract. 3 *ad Neophytos*: « *Adhuc triduum*, et Ninive evertetur. » Verum, inquit, prædixit: « nam eversa est iniquitas ejus, quia penituit. Sicut distat cælum a terra, dicit Deus hominibus, ita distat sensus mei a sensibus vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris, » *Isaia* LV. Sensus ergo est: Ninive, non urbs, sed ejus iniquitas subvertetur, ut sit alia piæque Ninive. Verum hoc tropologium est, non litterale. Sic anno Domini 396, Arcadio Imperatore, ait S. Augustinus *De Excidio urbis*, cap. vi: « Constantinopoli volens Deus terrere civitatem, et terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, servo cuidam suo fideli viro militari venit in revelatione, et dixit ei civitatem venturo de celo igne perituram, eumque admonuit ut Episcopus diceret, et correctis operibus crastina die ad sepiiformem litaniam devota cum lacrymemente veniamus; qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala que fecimus deprecemur, ut districtus iudex dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia proposita damnationis parcat. Rursus S. Petrus, ex Ordine S. Dominici eminens predicator et martyr, anno Domini 1232, aprilis die vigesima nona, qua Ecclesia in Officio divino ejus festum celebrat, in suis concionibus jugiter hoc thema proponebat: « *Adhuc quadraginta dies*, et Ninive subvertetur, » iisque tanto ardore et spiritu populum incendeat, ut omnes passim penitentiam agerent, eamque publicam. Dicebat enim: Tu, o Mediolanum, tu, o Parma, tu, o Cremona, es altera Ninive; si non agas penitentiam tuorum scelerum, illico videbis tuam ruinam: flagellum Dei imminet tibi: converte te ad Deum, et age penitentiam. Docet ergo hic Jonas, et ex eo S. Gregorius et S. Petrus martyr, concionatores populo debere proponere minas et terrores iræ Dei, mortis, iudicii, gehennæ, iisque acriter urgere peccatores ad penitentiam et odium peccati, ut eas evadant, Deumque sibi conciliant. Hi enim sunt mallei contentes petras. Alii oratores sunt quasi musci, quia aures duntaxat mulcent et scalpunt.

3. ET CREDIDERUNT VIRI NINIVITE IN DEUM. — id *VERS. 5.* est Deo. Nota: Hebræis credere in Deo, vel credere in Deum, idem est quod credere Deo, uti recte observavit Ribera. Unde hebræum יָאִמְנוּ יְהוָה *taaminu Jehovah*, tribus modis, sed idem, significantibus veritas, scilicet: primo, *crediderunt in Deum*; secundo, *crediderunt in Deo*; tertio, *crediderunt Deo*. Est enim *beth* contactus, quo utuntur Hebræi, ut dicant tangere in manu, id est, tangere manum: credere in Deo, vel Deum, id est credere Deo. Latinis tamen credere in Deum efficacius est, et plus significat, quam credere Deo; nimirum non tantum fidem, sed et spem ac fiduciam omnem cum amore conjunctam collocare in Deo; se resque suas curas Deo committere, sua omnia in fidei Dei resignare, salutem suam Deo credere. Ita hic Ninivite, credentes predicationi Jonæ, crediderunt per fidem Deum Jehovah, quem predicabat Jonas, esse verum Deum, ac proinde vera esse hæc Jonæ oracula, veroque eventuram Niniven, nisi penitentiam agerent. Consequenter sperarunt in Deum, quod eos ad penitentiam admitteret, et penitentibus parceret, eosque in gratiam reciperet; nisi enim hanc spem habuissent, nunquam tam arduam penitentiam suscepissent.

Quares, quo argumento moti sunt Ninivite ut crederent Jonæ? Imprudens enim et temerarius est, qui sine ratione et fundamento credit aliquid esse Prophetam, vel hoc illudve esse oraculum Dei, præsertim in re tam gravi et inaudita, qualis erat excidium Ninive urbis et monarchiæ; unde Apostoli fecerunt miracula aliaque signa,

sine quibus gentes non tenebantur, imo prudentem non potuerit eis credere. Respondeo: Nivite moti sunt ad credendum Jonæ per miraculum devoracionis et liberationis e ventre ceti, quod Jonas eis proposuit, quodque per nautas jam sparsum erat per totum Orientem. Hoc est quod ait Christus *Luce xi, 30*: «Sicut fuit Jonas signum Niniuitis, ita erit et Filius hominis generationi isrl. » Hoc enim signum clare eis demonstrabat Jonam a Deo ad eos mitti, simulque monebat et terrebatur eos ne, si Jonæ non crederent, æque, imo magis punirentur quam Jonas, atque ab aqua vel terra absorberentur. Accessit interna Dei illuminatio et inspiratio, quæ animos illorum commovit ad credendum. Juvat gravitas, prudentia, pietas, abstinentia et sanctitas Jonæ, quæ plane ostendebant Jonam non esse fatium, non levem, non mendacem; sed virum serium, prudentem, pium ac fide dignum.

ET PRÆDICAVERTUNT (INDEXERUNT) JEJUNIUM. — per magistratum, imo per regem, ut videtur; rex enim hoc jejuniū Nivivæ indixit, vers. 7, nec alius tunc Nivivæ hoc indicare poterat nisi rex. Est ergo hic hysterologia. Prius enim pervenit oraculum hoc Jonæ ad regem, uti sequitur vers. 6, quom indictum sit jejuniū, uti ait hic vers. 5; sed voluit Scriptura prædicationi Jonæ subnectere obedientiam, totumque opus Nivivitarum, scilicet quod crediderint et penitentiam egerint in jejuniō et cilicio; ac deinde pergere ad regem, et enarrare ejus sensum et gesta, de quo subdit: 6. ET PERVENIT. — id est quia pervenerat: dat enim causam publici jejunii et penitentiae Nivivitarum, quod nimium rex inaudiens oraculum minax Jonæ, edictum jejunii et penitentiae proposuerit et promulgavit per totam urbem.

Vers. 6.

Jonas prædicationem Sardanapali.

Quæres, quis fuit hic rex? Respondeo: Probabile est fuisse Sardanapalum, quem Diodorus, Justinus et alii gentiles historici ponunt ultimū monarcham Assyriorum, a quo monarchia translata sit ad Medos per Arbaceum Mediæ præfectum. Ita a Castro et Tornelius in *Annalibus*, anno mundi 3213, et alii. Favet S. Hieronymus, in cap. I *Amos*, vers. 1, ubi explicans titulum *Amos*, quo se dicit prophetaisse in diebus Ozie regis Juda, et Jeroboam regis Israel, «quando, » inquit, «apud Assyrios» urbesque Cilicie regnabat Sardanapalus, de quo insignis orator: «Turpior, inquit, vitis quam nomine; et apud Latinos Procus Silvius, cui Amulius expulso Numitore successit in regnum; quo interfecto, congregata pastorum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem.» Ergo Amos, ac consequenter Jonas (fuerunt enim coevi) prophetavit tempore Ozie, Jeroboam et Sardanapali (hi enim fuerunt pariter coevi). Rursum Jonam prophetasse tempore Jeroboam, ac consequenter Sardanapali, clare dicitur IV *Reg. cap. xiv, 23*. Favet et S. Augustinus, lib. XVIII de *Civitate*, xxvii, ubi docet prophetasse Johann, Amos et Osee sub finem imperii Assyrio-

rum, scilicet eo ruente, cum Roma condita inciperet, quia eorum prophetiæ de Christo patiente et resuscitato, Romanis et Gentibus ad Christum convertendis scribebantur. Favet et Eusebius in *Chronico*, qui Jonam consignat sub tempore Sardanapali. Dices: Eusebius dicit Sardanapalum regnasse 20 annis; et vigesimum ultimūque ejus annum consignat anno sexto Ozie regis Juda, qui fuit annus 18 Jeroboam regis Israel; postea vero anno 17 Ozie, qui fuit 29 Jeroboam, Arbaceis vero in Media regnantis 11, ita scribit: «Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias et Jonas prophetae.» Ergo 11 annis post mortem Sardanapali prophetavit Jonas; non ergo prophetavit Sardanapalo regnante. Respondeo, nego consequentiam. Nam si prophetabant, non significat initium prophetiæ (non enim hi quatuor ceperunt eodem anno, puta 17 Ozie, prophetae), sed confuse tempus quo florebat hi prophetae, q. d. Sub hoc tempus, puta ante et post annum 17 Ozie, prophetarunt Osee, Amos, Isaias et Jonas. Cum enim constet eos multis annis prophetasse, et de anno certo quo singuli ceperunt non constet, recte Eusebius in genere et confuse ait hoc tempore eos prophetasse, id est floruisse. Cum enim in chronologia consignatur tempus quo quis propheta, doctor vel episcopus floruit, non consignatur annus primus quo cepit, vel ultimus quo finit; sed potius medius; in medio enim ætatis prophetiæ et doctoratus solent florere homines, tum gratia, tum sapientia, tum auctoritate.

Confirmatur hæc sententia primo, quia passim chronologi Sardanapalum dicunt fuisse coævum Jeroboam, sub quo prophetavit Jonas. Excipio unum Genebrardum, qui censet Sardanapalum fuisse eum qui in Scriptura vocatur *Asarhaddon*, fuitque filius Sennacherib, post quem in Scriptura nemo ponitur rex Assyriorum. Asarhaddon enim regnavit diu post Oziam et Jeroboam, sub Ezechia et Manasse. Verum hæc sententia Genebrardi ab aliis chronologis passim rejicitur. Secundo, quia fidem consentiunt in Sardanapalo perisse monarchiam Nivivæ et Assyriorum, et post eam ponunt regnum Arbaceis et Medorum; Jonas autem missus fuit in Niviven, cum illa opibus et regno florere; ergo non post Sardanapalum, sed eo regnante.

Prophetam priorem.

Secundo.

Tertio, quia Sardanapalus fuit luxuriosissimus, et diffudit luxu ac vitis, regem suum secuta est Nivive: hæc ergo sunt vitia ob que excidium et intentat Jonas. Quarto, quia licet paulo post Sardanapalum ex Scriptura constat Nivivæ restitutum fuisse regnum, ac in ea regnasse Phul, Teglatphalasar, Salmannasar, Sennacherib et Asarhaddon; tamen hi non regnarunt cum Ozia et Jeroboam, sub quibus prophetavit Jonas, sed post eos. Rursum in strage Sardanapali et translatione monarchiæ, sat videtur fuisse punita Nivive, ut non opus fuerit post illam eo mittere Jonam. Insuper Jonam missum esse ante ejus stragem patet, quia missus

Tertio.

Quarto.

est ut eam comminaretur et prædiceret quasi futuram. Ex dictis colligitur quod Sardanapalus, audiens Jonæ oracula et minas, conversus sit, egeritque penitentiam cum suis Niniuitis, sed eo redeunte paulo post ad solitas delicias et vitia, ad eadem redierit et Nivivite, uti facere solent concubinarij allicque vitis assueti. Unde tunc Deus excitavit Arbaceum, qui Sardanapalum et Niviven invaderet, eumque cogeret ad palatii sui que incendium, ac monarchiam transferret ad Medos; de quo dixi in Proemio (1).

ET SUBREXIT (REX, PUTA SARDANAPALUS) DE SOLIO SVO, ET ARBEXIT VESTIMENTUM SUUM A SE (Figurina, pudamentum, puta vestem imperatoriam, diadema, sceptrum aliaque insignia regalia), ET INVDITUS EST SACCO (cilicio), ET SEDIT IN CENERE. — Nota hic penitentiae habitum et opera non esse nudam respicientiam, ut vult Calvinus, sed genuitum, saccum, cinerem, jejuniū. Ita Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, S. Augustinus, Pacianus tract. de *Penitentia* (2).

Præclare S. Ambrosius enarrans hanc Jonæ historiam in fine tomi II: «Rex Nivivæ, inquit, hostes virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens, inquam, rex qui pro salute civium peccatorum se magis confitebatur esse quam regem. Obliviscitur enim se regem esse, ubi Deum regem omnium pertimescit; nec potentie suæ meminit, ubi potentiam divinitatis agnoscit. Mira res: dum se regem hominum esse non meminit, rex incipit esse justitiae. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutavit Principatum enim ante militaris disciplinae tenuit, nunc celestium disciplinarum obtinet principatum.» Et inferius: «Ut tota civitas jejunaret, famem sibi rex primus indixit; et solus omnium causa prior cepit esurire quam miles. Necessè enim erat ut qui potentior cunctis fuerat, devotior fieret universis.»

Vers. 7.

7. ET CLAMAVIT ET DIXIT (supple præco, ita Vatablus; vel «clamavit et dixit, » id est proclamari fecit et edicere) EX ORE REGIS, — id est suo. Est hebraismus. Unde Chaldaeus vertit: *Atque per præconem proclamare jussit, ac dicere per Nivivæ eam*

(1) Probabilissime, inquit Aekermann, est Phul, qui tempore Jeroboam II florebat. Vide opus D. de Sanley: *Recherches sur la Chronologie des empires de Ninive, etc. Annales de Philosophie chrét. de serie*, tom. XIX et XX.

(2) Vox *ITTIN* adest, proprio pelle arctis, ab arctiæ dicta, cujus pellis pro vestitu est, *Genes. xi, 35*; I *Reg. xiv, 13, 15*, ubi de pallio Elie propheta dicitur. Nec mirum cuiquam videri debet, quod hoc loco de regio ornatu usurpat, et *Jos. vii, 21, 24*, valde pretiosum memoratur. Possunt enim, apposite monente J. D. Michælis, *Supplém.* pag. 24, et pelles regum illustrium gestamina esse, ut apud nos *Hermelin, Zobel, Schwarze, Sibirische, Lammerfelle*. Nec id abduci ab Orientis moribus. Itineratores testes sunt, pelles et in hunc usque diem, idque in calidioribus etiam *Agypto*, magnatum gestamina esse: vide Niebuhr *Itiner.* part. I, pag. 158. Nisi forsitan adest et latus sumptum fuerit, non tantum de pelle, sed de quocumque vestimento aut pallio splendidiore usurpatum fierit. (Rosenmuller.)

regis et principum ejus decreto. Sic et Pagninus.

HOMINES, ET JUMENTA, ET BOVES, ET PRÆCOA NON GUSTENT QUIDQUAM. — Causam dat S. Chrysostomus, hom. 3 ad *Popul.*: «Et bruta jejuntant, et equi, et muli sacco vestiuntur. Etiam, inquit: sicut enim divite aliquo mortuo, non servos solos et ancillas, sed et equos domestici sacco vestientes, et agasonibus tradentes ad sepulcrum sequi jubent, calamitatis magnitudinem ostentantes, et omnes ad misericordiam allicientes; sic et in civitate illa (Nivive) mori periclitante, et brutam naturam sacco circumtulerunt, et jejunii jugo subjecerunt. Non licet brutis sermones Dei iram discere, discant famis que a Deo infigitur plaga; etenim si dirueretur, inquit, civitas, non tantum nostri inhabitantium, sed et horum una esset sepultura. Penæ igitur partem habere debentia, et jejuni partem capiant.» Alteram deinde dat causam: Cum, inquit, essent confusione pleni, nec quidquam haberent excusacionis, «ad bruta confugiunt, et illorum mortem deplorantes, ex his supplicationem faciunt miserabilem et luctuosam, ipsorum perfidionem proponentes.» Et S. Ambrosius, sub finem tom. II: «Non enim, inquit, sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata, parvulorum innocentia deploraret, et flentibus alienis delicta sua juvenis ablueret.»

Nota: Verisimile est hoc rigidum jejuniū Nivivitarum, ad aliquot dies, v. g. tres, ut sensit S. Chrysostomus hom. 4 de *Penitentia*, deruisse, ita ut per triduum nec homo, nec pecus quidquam cibi aut potus gustaret; deinde continuantur hoc jejuniū ad quadraginta dies, sed ita ut suo tempore, v. g. vespere, aliquid panis et aque succederent ad sustentandam naturam; alioqui enim non potuissent naturaliter sine cibo et potu progrogare vitam ad quadraginta dies; saccus vero, clamor et præces eorum perennarunt ad quadraginta dies.

Simili modo anno Domini 1124, Christiani in Terra sancta a Saracenis circumessii, exemplo Nivivitarum jejuniū solemne inter pueris infantibus et peccoribus indixerunt, itaque miraculosam a Deo de iis adepti sunt victoriam. Nam cum tria Christianorum millia, Patriarcha præferente crucem, et abbate Cluniaecensi lanceam qua transfixum est latus Christi, in aciem prodirent contra 40 Saracenorum millia; splendor de celo in Saracenos illapsus eos ita enervavit, ut passim fugientes cæderentur, non solum a viris, sed etiam a pueris et feminis. Perierunt in prelio septem millia (submersi in aquis quicque millia; omnes vero Christiani, incolentes reversi, epinicum Deo cecinerunt. Ita ex Roberto Sigeberti Cardinalis Baronius anno 1124.

8. (3) ET CLAMANT IN FORTITUDINE, — fortiter, con-

Vers. 8.

(3) «Et operiantur saccis homines et jumenta.» Quod jumenta quoque saccis operienda ex regis jussu Noster narrat, inquit Rosenmuller, forsitan intelligi voluit de equis, mulis et camelis, qui pretiosius integumentis ornari

tenta voce : Misericordia, misericordia, miserere nostri, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Ila clamabant homines. Jumenta vero pre fame boabant, mugiebant, resonabant quisque sua voce in cœlum. Hæc communis hominum et jumentorum comploratio Dei iram stitit, et ad misericordiam inflexit. Graphice eam depingit S. Basilus, hom. 8 in avaros, quæ inscribitur : *In fame et squalore*; et homil. 4 *De Penit.* Sic Virgilius, *ecloga v*, ait in morte Julii Cæsaris, quem Daphnim vocat, jejunasse oves, boves ceteraque animalia, ac lugubri ejulatu ejus necem plorasse. Quin et addit :

Daphni, tuum Penos etiam ingenuisse leones
Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.

Simili modo Alexandrum luxisse mortem Hephæstionis, et Thebanos mortem Pelopidae, tradit Plutarchus in ejus Vita.

ET CONVERTITUR VIR VIA SUA MALA. — S. Chrysostomus, homil. 3 *ad Popul.* : « Videamus, ait, quid inevitabilem illam iram solverit; num jejuniu solum et saccus? nequaquam; sed totius vite mutatio; quoniam conversus est quisque a vitis suis malis, penitit mali quod dixerat facere ipsis Dominus. Honor enim jejuniu non ciborum est abstinentia, sed peccatorum fuga. Jejunas? Demonstrat mihi per ipsa opera? Qualia, inquit, opera? Si pauperem videris, miserere; si inimicum videris, conciliare; si amicum laudabiliter agenter videris, ne invideas; si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantum jejunit, sed et oculus, et auditus, et pedes, et manus, et omnia corporis nostri membra. Jejunent manus, a rapina et avaritia munda; jejument pedes, ad illicita spectacula cursum reprimentes; jejument oculi, discentes nunquam formosis obtutibus insilire, nec alienas curiose pulchritudines spectare; cibus enim oculorum est spectatio; jejunit et auris, aurium autem jejuniu est detractiones et calumnias non suscipere; jejunit quoque os a verbis turpibus et convicio. Quæ enim utilitas, cum avibus quidem et piscibus abstinemus, fratres vero mordemus et comedamus? detrahens fratras carnes comedit, » etc.

Ex hoc loco videtur quod Ninivite (saltem multi) vero fuerint contriti, ideoque hæc penitentia justificati et salvati, quoniam in justitia usque ad finem vite persisterunt. Nam crediderunt in Deum verum, elicerunt actus spei, timoris, doloris, ausierunt et inaudiam, eamque publicam egerunt penitentiam; imo primus rex ipse, posita regia vesie, saccum induit, et cinere se conspersit; quæ utique ingentis interni doloris et contritionis erant indicia, et, quod maximum est penitentis signum, solent. His itaque detractis vilia imposita fuisse, ut bodie, sicut et olim, teste Chrysostomo, in funebribus nobilium equi generosi, quibus defuncti usi sunt, panno nigro induantur, ut simul lugere videantur. (Rosenmüller.) Cf. Calmetum ad hunc vers.

actusque nobilissimus, conversi sunt a vita pristina lasciva et scelerata ad castam et sanctam. Unde Deus hæc eorum penitentia opera probavit et acceptavit, eisque penam condonavit, simul et culpam, ut videtur. Ita S. Chrysostomus, hom. *Quod nemo laeditur nisi a seipso* : « Ninivite, ait, conversi sunt ad timorem Dei, abjectisque continuo prioris vite malis, ad virtutem se et justitiam per penitentiam contulerunt, tam fideli satisfactione, ut divinitus jam promulgatam sententiam revocarent. » Et lib. 1 *De Orando Deum* : « Primi, ait, occurrunt Ninivite, quos clarum est deprecationis presidio plurimorum scelerum, quibus divinam iram in se provocarent, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, justos reddidit; ac civitatem, quæ jam assueverat lascivire, malitie, breviter, vitam exlegem et impiam vivere, statim correxit; nimirum potentius diutina peccandi consuetudine, cum civitatem illam celestibus legibus impleisset, pariter secum trahebat temperantiam, mansuetudinem, humanitatem curamque pauperum. Sane si quis tunc ingressus fuisset civitatem Ninivitarum, qui prius eandem probe novisset, nequaquam agnovisset eam; adeo repente a turpissima vita ad pietatem resierat. » Quare licet aliqui opinentur Ninivitas fuisse tantum attritos, tamen contrarium verius est fuisse etiam contritos; nec tantum ex timore penæ, sed etiam ex amore justitiæ hanc penitentiam subiisse. Idem confirmat ex eo quod Scriptura et Patres, maxime S. Chrysostomus, passim peccatoribus proponunt exemplum Ninivitarum, tanquam illustrissimum speculum penitentia. Unde Christus, *Matth. xii, 41* : « Viri Ninivite, ait, surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam : quia penitentiam egerunt in predicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. » Hinc S. Gregorius, in *Psaln. vii Penit.* : « Penitentia, ait, est unum de perfectis donis descendentibus a Patre luminum. » Et Tertullianus, lib. *Contra Psychic.* cap. xvi, celebrat « Ninivitarum justitiam, » quamquam verior lectio Pammelli habeat : « Ninivitarum justitiam, » id est cessationem ab omni cibi et potus genere cum ethnicis, qui, ut antea dixi, « annuo riu saccis velantur, et cinere conspergantur. » Idem docet S. Ambrosius, serm. 28, qui habitus est in Dominica 1 Quadragesimæ, et S. Ephrem, serm. *De Joh.* Idem diserite docet Andreas Vega, lib. XIII *De Justit.* cap. v : « Ninive, ait, ut verisimile est, multos habuit qui ab accepta gratia aliquando excederunt; et tamen subito ad prædicationem Jonæ Deum agnovit, et per penitentiam non solum interminatæ mortis periculum evasit; sed et, ut Chrysostomus asserit, vite incognite coronam accepit, faciliusque est, ut Augustinus ait (lib. *De Penit. med. v*), evacuata comminatio Propheta, quam humiliatio penitentia. » Idem docent alii, et insinuat S. Thomas, III part. *Quæst. LXXXIV, art. 7, ad 4.* Favet Concilium Tridentinum sess. XIV,

cap. iv, cum enim agens de attritione dixisset : « Et quamvis sine sacramento per se ad justitiam perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento penitentia impetrandam disponit; » mox idipsum probat exemplum Ninivitarum, atque : « Hoc enim timore utiliter concessi Ninivite, ad Jonæ predicationem plenam terroribus, penitentiam egerunt, et misericordiam a Deo impetrarunt; » scilicet Dei gratiam per penitentiam, sive contritionem; nec enim tunc institutum erat sacramentum penitentia, quod postea in lege nova Christus instituit, *q. d.* Sicut Ninivite per timorem disposerunt se ad virtutem penitentia et contritionis, qua Dei misericordiam et gratiam impetrarunt; ita christiani peccatores per timorem et attritionem se disponunt ad sacramentum penitentia, quo peccatorum veniam et Dei gratiam consequuntur.

Ex dictis nota quanta sit vis penitentia, quæ tante urbis tot tantaque scelera abolevit, Dei iram placavit, flagellum ei extorsit, imo ejus gratiam et justitiam impetravit, atque Ninivitas ex filiis gehennæ, fecit filios cœli; ex mancipiis diaboli, fecit amicos Dei; ex injusis, impiis, infidelibus, sceleratis, fecit justos, pios, fideles, sanctos. Ita S. Chrysostomus, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus et alii, tract. *De Penit.* Audi S. Ambrosium, lib. *De Penit.* cap. vi : « Ninivite indicunt sibi necessarium perituri jejuniu, in ipsis corporis animas humilitatis flagello castigant, induunt pro veste cilicium, et pro unguentis cinere se aspergunt; ac prostrati humo pulverem lambunt. Mortem suam lacrymis luerant, et vitam plangimonis prosequuntur; reatum suum gemitibus publicant, et actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis ætas et sexus indiscrete lugubritate se aptat officii, depositus omnis cultus, dejectus ornatus, negata quoque sunt ipsis alimenta lætentibus; et etas necdum propriis peccatis infecta, onera sustinuit aliena; cibum suum mutum pecus esurivit. Unus audiebatur per moenia civitatis ejulatus disparium naturarum, et per omnia tecta hebilis resonabant lamenta plangentium, et, ut semel dixerim, terra mugitus contentium sustinebat, sed et astra ipsa voce penitentia personabant. Impletum est quod scriptum est *Eccli. xxxv, 21* : Oratio humilientis se nubes penetrabit; denique sic placavit offensum Deum, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum, » etc. Præclare S. Bernardus, serm. *De S. Andrea*, penitentiam vocat « ultricem virtutum, altricem virtutum. » Idem, serm. 71 in *Cantic.* : « Cibus ejus (Christi) penitentia mea, et cibus ejus, salus mea, cibus ego ipse. Mandor cum arguor, glutior cum institor, decoquor cum immolor, digeror cum transformor, unior cum conformor. » Idem, serm. 2 in *Vigilia Nativitatis*; « Exsultare fecimus angelos, quando conversi sumus ad penitentiam. Currite, fratres, currite; non soli angeli, sed et ipse angelorum vos creator expectat. »

Idem, serm. 30 in *Cantic.* : « Lacrymæ penitentium vinum sunt angelorum. » Plura si cupis, vide quæ annotavi *II Corinth. vii, 11.*

9. QUIS SCIT SI CONVERTATUR? — T3 si non est Vers. 8. in Hebræo, sed subintelligitur; unde eo omissio, Chaldaeus et Arias sic vertunt : *Qui scit quod in manibus suis culpa sint, convertatur ab eis, et miserum erit super eum a facie Domini*; quasi hic penitenti certa spes detur venie, imo certitudo misericordia consequenda. Verum melius Noster, Septuaginta, Pagninus, Vatablus et alii subaudiunt si, quasi Ninivite incerti sint de venia, de eaque dubitent, et hereant inter spem et metum suspensi; planius enim et usitatius est in Hebræo ad illud : *Quis scit, subaudire et supplere unam vocalem si, quam multas hæc : Quod in manibus suis culpa sint. Adde hebræum 12 mi esse interrogativum, et significare quis, non qui; qui enim significatur per he demonstrativum.*

Dubitant Ninivite de remissione, non culpæ, sed penæ, *q. d.* Quis scit si per penitentiam nostram Deus placetur, revocet sententiam de everenda Ninive? Simili modo Deus condonavit adulterium Davidi, sed punivit eum morte filii ex eo geniti, II *Reg. xii, 19.* Unde Franciscus Suarez, tom. IV *De Penit.* disp. XXXVII, sect. ix ex his Jonæ verbis, et similibus Joh. vi, 14, docet neminem, quantumvis justus sit, posse satisfacere de condigno pro pena accidentaliter seu extraordinaria, qualis erat hic everio Ninive; imo nec posse aliquid facere, quo infallibiliter talis penæ remissionem consequatur. Unde S. Augustinus in *Psaln. l.* : « De incerto, ait, penitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt. » Et S. Hieronymus : « Ideo, ait, ambigunt ponitur, ut dum homines dubii sunt de salute, fortius penitentiam agant, et magis ad misericordiam provocent Dominum. »

Secundo, alii hanc dubitationem extendunt ad remissionem culpæ; licet enim certissima sint promissiones Dei, quibus penitentibus promittitur veniam, tamen incertum est an homo impleat conditionem, quam exigit promissio; puta, quod sit sufficienter dispositus ad gratiam; nimirum quod sit vere contritus ex amore Dei, non attritus tantum ex timore penarum. Ita Gregorius de Valentia, II II, tract. *De gratia*, disp. viii, *Quæst. IV*, et Cardinalis Bellarminus, lib. III *De Justific.* cap. vi.

ET IGNOSCAT DEUS. — Hebræice, et penitentiam agat, vel penitudine ducatur Deus. Ita Septuaginta, Pagninus et Vatablus. Hinc veteres hæretici, ut Marcion, Manes et alii, censebant Deum veteris Testamenti non fuisse verum, nec perfectum, utpote in quem cadat dolor et penitentia. Objiciebat ergo Marcion : « Culpandus est Deus, qui justitiam utique non penitentiæ penitentiam gessit. » Respondet Tertullianus, lib. II *Contra Marc.* cap. xxv, aliam esse penitentiam hominum, aliam Dei : « In Deo enim nihil aliud interigitur quam

conversio sententiae prioris, quae etiam sine reprehensione possit admitti in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa, quam pro rerum variantium se occurru fieri ostendimus. »

Pulchre S. Chrysostomus, hom. 1. *De Penitentia*, docet in Deo vere non esse penitentiam, quia non vult, nec optat nobis malum; sed tantum minatur, ne cogatur illud infligere: « Cuius, inquit, rei gratia quae facturus es mala praedicis? Ut non faciam quae praedico. Propterea et gehennam minatus est, quo gehennam non inducat. Terreat nos verba, ne facta conturbent. » Ibidem ostendit quanta fuerit vis fervoris penitentiae Nivitarum: « Qui, inquit, tribus diebus tantam peccatorum iram solvere valuerunt; » et quanta clementia Dei, « trium dierum penitentia contenti pro toto peccatis. Qui enim proposito excitato fervet, atque multa cum solertia penitentiam ostendit, brevi temporis momento longae temporis peccata delere poterit? » Ubi advertit Chrysostomus opinari Nivitas, statim ad praedicationem Jonae, penitentiam egisse. Cum ergo Jonas praedicaret: « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur, » sequitur eos per 40 dies penitentiam egisse. Verum quia Chrysostomus legit: « Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur, » hinc censet eos tantum per tres dies penituisse. Idem, hom. in *Psalm. vii*: Homines, inquit, puta hostes, mirantur supplicium et reipsa infligunt: « At non sic Deus, sed contra omnino, et praedicit et differit, et verbis terret, et nihil non facit, ut quae minatur non afferat. Hoc etiam fecit in Nivitis. Nam ille quoque arcum tetendit, et gladium vibravit,

et jacula paravit, et ictum non inflixit. Annon tibi videntur Prophetae verba esse arcus, et telum, et gladius acutus, quando dicit: Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur? sed telum non emisit; non ideo enim erat apparatus ut emitteretur, sed ut reponeretur. »

10. ET MISERTUS EST DEUS SUPER MALITIAM. — *Ver. 10.* « Malitiam, » id est afflictionem; Hebraeus: *Poenituit eum super malo quod illis inferre decreverat, q. d.* Revocavit sententiam punitionis et exiit illam in eos; quia videns penitentiam, eorum misertus est. Tropologicus abbas Joseph apud Cassianum, *Collat. xvii*, cap. xxv, hoc exemplo Dei, inquit, « edocemur non debere nos obstinate in nostris definitionibus perdurare, sed comminationem ex necessitate propositam clementi miseratione mollire. » Ut subditis peccantibus, si culpam agnoscant, et veniam petant, parcamus; sicut Nivitis peperit Deus (1).

(1) Incredibile visum est quibusdam regem Nivites et Nivitas ad praedicationem viri ignoti conversos fuisse, regem praecipisse hominibus et animalibus abstinentiam ab omni re, et hisce omnibus praescripsisse saccos lugubres. Quibus responderi potest cum Janssens: Priscis istis temporibus, quibus homines audiendo oraculis assueti erant, credebatur Deum quibusdam oraculis assueti erant, suamque voluntatem manifestare; et hinc prophetae apud Hebraeos, et vatibus apud Gentiles, ius erat ipsis principibus nomine Dei, vel deorum, ventiles durissimas dicendi. Quare rex Nivites ac Nivitis suorum criminum probe conscius, ob ingens miraculum Jonae, et quod caput rei est, ob illustrationem gratiae divinae, dicitis Jonae facile fidem adhibuerunt, ac penitentiam extraordinariam peregerunt.

CAPUT QUARTUM

SYNOPSIS CAPITIS

Dolet Jonas Nivitis contra oraculum suum parci: hinc Deus eum per umbram hederæ vermemque eam corrodentem corripit et erudit.

1. Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est: 2. et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc praecipuavi ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, pateriens et multa miserationis, et ignoscens super malitia. 3. Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me: quia melior est mihi mors quam vita. 4. Et dixit Dominus: Putasne bene irasceris tu? 5. Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra Orientem civitatis: et fecit sibi tabernaculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. 6. Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim), et letatus est Jonas super hederam, lætitia magna. 7. Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: et percussit hederam, et exaruit. 8. Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti: et percussit sol super caput Jonæ, et astubabat; et petivit animæ suæ ut moreretur,

et dixit: Melius est mihi mori, quam vivere. 9. Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne bene irasceris tu super hederam? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. 10. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret: quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte perit. 11. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa?

Ver. 1. 1. ET AFFLICTUS EST JONAS. — cum elapsis quadraginta diebus, vidit oraculum suum frustrari, et Nivem non subverti, ut ipse prædixerat. Afflictionis causam variam dant: primo, S. Hieronymus et Remigius censent eum afflictum ex amore populi sui, eo quod sciret gentium salutem fore ruinam Israel. Cum ergo Deum videret misericordiam exhibere Nivitis, censebat eam subtrahendam a Judæis, iramque Dei illis immingere; et ea de causa tantopere indoluit. Secundo, Arias censet eum indoluisse parvum Assyriis, eo quod sciret per eos puniendos et vastandos Israelitas. Verum hoc gratis dicitur. Tertio, Vatablus censet eum doluisse quod Judæi, incitati tot minis Prophetarum, tam duri essent ad penitentiam, cum Nivitis ad eam tam essent faciles; ut uno ejus oraculo compuncti, totos sese dederent cjuino, sacco et cineri. Verum aliam causam dat Jonas.

Dico ergo eum afflictum fuisse, eo quod videret Deum parere Nivitis penitentibus, ac consequenter suum oraculum, quo eam evitentem timeret se irridendum, et habendum falsum prophetam. Nivitis ergo et indiscretus amor honoris proprii fuit causa hujus afflictionis, impatientiae et iræ Jonæ: unde optat mori potius, quam cum ignominia vivere, inquit Theodoretus. Ita et Theophylactus, Albertus, Clarius, Dionysius et alii. Ita et S. Ephrem, serm. *De Jona*, qui Nivitas ita Jonam consolatus inducit: « Noli contristari, o Jona, sed gaude, quia novam vitam agimus; per te enim bona invenimus, per te universorum Deum agnovimus. Non es mentis, ne timeas: subversa enim nostra est malitia, et exaltata fides in manu tua. Nam angelos in excelis gaudio perfundens, merito ipse super terram in eo gloriari et exultare debes, quia Deus de nobis gaudet in celis. »

Nota: Optat Jonas rem justam, unde non peccat mortaliter: optat enim ut Nivitis peccata præterita puniantur, utque sententia Dei in eos lata non revocetur, esto poenitent; sic enim iudex latronem ob furta suspendit, esto eum poeniteat. Sed quia id optat indiscreto zelo, et vano fine; nimirum ut honori suo consulat cum tanto Nivitarum damno, peccat venialiter. Hæc ita se habere patet ex verbis Jonæ, et ex verbis Dei eum redarguentis, vers. 11, cum ait: « Et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum? »

Moraliter, discere quam perversus sit zelus indiscretus, quamque displiceat Deo. Jonas enim cogitare debebat, sequere consolari quod magis hie dieret. ageretur honor Dei, qui miserat Jonam, quam suus; ac Deo curæ fore honorem suum, ne haberetur mendax. Rursum cogitare debebat oracula Dei minacia solere esse conditionata, ideoque præmitti a Deo, ut homines inducant ad penitentiam, itaque eis parcat. Mutatis enim rebus et personis, mutatur decretum et sententia Dei. Quocirca hæc mutatio non est in Deo Deique decreto; sed in ipsis reis et peccatoribus. Sententia enim Dei est hæc: Moriatur peccator, si videlicet in peccato persistat; quod si non persistat, sed poeniteat, non moriatur, sed vivat, *Ezech. xviii*, 32. Discretus et piens Michæas, cap. ii, 11, cum certum exitum prædiceret impiis, indolens eorumque vitam suo honori præponens: « Utinam, ait, non essem vir habens spiritum (propheticum), et mendacium potius loquerer! » Verum Jonam, passione actus, hæc non considerabat; sed mihi honori suo intentus, uti solent homines sui nominis studiosi: « Numquid non hoc est verbum meum, inquit, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, pateriens et multa miserationis, et ignoscens super malitia; » Chaldeus: *Sententiam revocans, quo minus malum infligas*. Scis hoc, o Jona! cur ergo idem non facis? cur iram clementiam non temperas? cur Deum tuum non imitaris? cur clemens, id est divinus esse non vis? Hinc liquet Jonam et Prophetas non habuisse spiritum propheticum, quasi habitum permanentem; sed subinde ab eo desertos fuisse, sicutque relictos, ut pateret eos esse homines ceteris similes; tumque actos spiritu naturali et humano, non divino quedam egisse et dixisse a charitate, æquitate et veritate aliena, uti fecit hic Jonas.

Simili indiscreto zelo laborabant Jacobus et Joannes apostoli, *Luc. ix*, 54, cum Samaritis indignantes eo quod repulissent Christum, dixerunt: « Domine, vis dicimus ut ignis descendat de celo, et consumat illos? » Quocirca reprimens eos Christus: « Nescitis, ait, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. » Simili zelo laborabat S. Carpus, cuius hæc de re visionem longam, sed memorabilem recenset S. Dionysius, epist. 8 *ad Demophilum*. Simili laborat Acaclus episcopus in Concilio Nicæno; qui cum duriores se præberet in recipiendis ad

penitentiam iis qui a fide aberraverant, audivit a Constantino Imperatore: « O Acaci, sealam a terra in cœlum constitue, solusque per illam in cœlum conscende. » Ita refert *Histor. Eccles.* part. II, cap. iv. Alius in casu simili a viro sancto audivit: « Si hic errans tibi stetitset tuo sanguine, uti stetit Christo, reciperes eum et colligeres, nec sineres eum extra Ecclesie caulam luporum prædam exponi. » Saniores magisque discretum et piûm zelum habuit Apostolus erga Judæos persecutores suos, dum pro iis optabat fieri anathema a Christo, *Rom.* ix, 1; et Moses orans pro populo qui vitulum aureum adoraverat, dicensque: « Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, » *Exod.* xxxii, 32; et Joseph fratres a quibus venditus erat, cum lacrymis deosculans, alensque per omnem vitam, *Genes.* xlv, 1.

Vers. 5. **ET HERESUS EST JONAS.** — Putat a Castro esse hystorologiam, hæcque verba ponenda recto ordine cap. iii, ante vers. 6. Censet enim Jonam, finita predicatione quasi obita legatione, illico egressum de civitate, ac in tugurio expectasse quadragesimum diem, ut spectaret rei exitum, uti hic dicitur. Ita et Theodoretus, Lyranus et Dionysius. Verum dico nullam esse hic hystorologiam, Jonamque non ante, sed post quadragesimum diem post continuam penitentiam Ninivitarum afflictum et dolentem, eo quod oraculum sum de eversione Ninives non completeret, egressum urbe, ibique plenioris rei exitum expectasse; ut videret an omnino, an ex parte tantum sententiam suam revocaret Deus: sperabat enim Deum saltem aliquam cladem eis inflicturum. Verum cum vidit omnino Deum eis parere, murmurans fecit, dixit, et audivit ea quæ hic enarrantur. Patent hæc ex ipso contextu, et serie narrationis, et ex versu 10, ubi reprehenditur Jonas a Deo, eo quod doleret Deum parere urbi: ergo egressus est post quadragesimum diem, cum videret Deum urbi non infligere mala, que comminatus erat, non ante: nam ante nosciebat an Deus parceret esset urbi, imo putabat eum non parceriturum.

Vers. 6. **6. HEDERAM.** — que umbraculo a Jona erecto se copularet, eique umbram novam et majorem adderet. Adde hederam non solum adversus solis restum umbraculum prebere, sed et capitibus gravedinem ex æstu et lassitudine contractam (unde ait: « Laboraverat enim, » discendi vim habere; qua de causa et convivæ vino æstantes olim hedera coronantur, ut capitibus gravedinem, soporem æstumque disculerent. Hinc apud gentes hedera sacra erat Baccho, ut patet II *Machab.* cap. vi, vers. 7. Septuaginta, Syrus, Arabicus uterque et Pagninus vertunt, *cucurbitam*: cucurbita enim, quia frigida est, et ampla habet folia, magnam facit umbram, eamque frigidam (1).

(1) H. Bodin (*Les Livres prophétiques traduits, etc.*) hæc

Quocirca cum S. Hieronymo vertente, *hederam*, expostulavit S. Augustinus, epist. 10 ad S. Hieronymum, eo quod nonnulli ob novationem hanc obstreperet, et in Ecclesia tumultuarentur; imo Calvinus S. Hieronymum infide versionis et imposture palam arguit. « et Canticulus, ait S. Hieronymus, dudum Romæ dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita hederam transulerim. » Respondet S. Hieronymus, Aquilam quoque, Symmachum et Theodotionem vertisse, *hederam*. Nam hebraice esse *kikaion*, quæ syre et punice *kikeia*, et *elheroa* (unde et Talmudici, teste R. David, *kikaion* dicunt esse id quod arabice vocatur *alherua*) dicitur, estque genus virgultu in Palestina, lata habens folia in modum pampini, et umbram densissimam, quod suo trunco se sustinet et ciliissime sese dilatat, presertim in locis arenosis, mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confutum crescit in arborem, et intra paucos dies quam herbam videras arbusculam suspicis. Hoc cum græce et latine nomen non habeat: Nos, ait S. Hieronymus, Symmachum, Aquilam et Theodotionem secuti, non nomine verimus, *hederam* (ne, si hebraicum nomen *kikaion* posuissimus, lector bestias Indie, vel montes Beotios, aut nescio quid monstris et portentis imaginaretur), idque congrue: quia *kikaion* celerrime proserpit atque oblegit et umburat, uti hedera. Adde ex Theophrasto, lib. III, cap. xvii, et ex Mathiolo in *Histor.* lib. II, cap. clxxv, hederæ speciem unam esse majori folio, quæ non serpit, sed per se consistit, crescitque in arborem; uti facit *kikaion*. Sic *pises* vocamus lupos, canes, equos marinos: quia lupis, canibus, equis terrestribus sunt similes. Eadem de causa Septuaginta *kikaion* vertunt *cucurbitam*, novum et indentes nomen; quia proserpit, et umburat, et sana est ut cucurbita; de qua vulgare est prover-

interpretationem anteponendam existimat, eo quod Jona recubanti facile erat umbram captare sub ista planta, cujus folia in altum assurgunt, alisque arboribus inhaerent, ita ut inter folia et terram suis spatii relinquatur, ut foliorum umbra contra solis radios protegere possit. Insuper, inquit, in Oriente delicissimus in locis urbi Ninives circumjectis quoddam ens cucurbitæ (*courge*) genus, quæ a vermi in stipte erosam mox exsiccare videre est. Verum, inquit Rosenmüller, Ackermann et Maurer, sunt in *vicino* multa, quæ hinc Jona *kikaion* aptissime conveniunt. *Primo*, altitudo, quæ ab omnibus fere, qui illam plantam descriperunt, memoratur, unde a quibusdam *erbor* dicitur, cum reversa potius herba sit; hæc enim Jona tam alta erat, ut supra caput ejus ascenderet, uti mox sequitur. *Secundo*, foliorum magnitudo, indeque proveniens umbra densitas, magno illorum consensu confirmata; nam et hæc quoque umbra erit. *Tertio*, quod a Plinio et Hieronymo de nascenti celeritate narratur, et, quod infra vers. 10 legitur, consentaneum est. *Quarto* tandem, quod Plinius (*Hist. nat.* lib. xv, cap. vi) et S. Hieronymus de nascenti celeritate ricini narrat, optime convenit et quod vers. 20 legitur; quare verisimillimum est *kikaion* esse ricinum. Vide infra Cornelium.

kikaion quid?

Hedera symbolice
lino vs
nativitas
mundi

bium: « Sanior est cucurbita; » esto vere *kikaion* non sit cucurbita, nec hedera nostra. Quare divinat, vel potius errant, R. David, et ex eo Arias et Rabbini, quibus *kikaion* censent esse id quod Græci *kiki* vocant, nos ricinum, sive palmam vel manum Christi, ob foliorum articulationem, que foliis latis est, et ad umbram appositis. Ricinum enim est herba venenata, consequenter et umbra ejus. Quis credat Deum Prophetæ suo præparasse ad umbram herbam venenatam, cum ei ad manum essent tot alie salutifere? Denique nomina herbarum, lapidum, arborum, animalium apud Hebræos communia sunt diversis multisque speciebus. Quare *kikaion*, ait Ribera et Sanchez, commune est arbutis quæ brevi crescent, et frondes produunt accommodas ad faciendam umbram: unde Noster vertit, *hederam*; Septuaginta vertunt, *cucurbitam*; alii, *cucumerem*; alii, *platanum*, etc.

Symbolice, hedera symbolum est vanitatis mundi, omnisque rei et spei mundanæ. De hac enim hedera vers. 40, in hebræo dicitur: « Filia noctis erat, et filia noctis perit, » id est, una nocte nata est, una etiam nocte perit. Annon filia noctis est honor, pompa, delicia et divitiæ mundi, quæ una nocte obveniunt, una nocte durant; imo sæpe eadem nocte transeunt et pereunt? sicut vermis hederam subito erodit, sic sepe morbus, mors, odia, calumnie, rapinæ, etc., bona mundi auferunt. Putas te quiescere securè in tuis opibus? falleris: sub umbra hederæ quiescis, vermis adversæ fortunæ hederam hanc erodet; et tua umbra, tua spes vana et umbratica evanescent. Hinc Deus uti Jonæ, ita et divitiis, honoratis, etc., sæpe hanc umbram subducit et auferit; ut videant homines spes omnes esse inanes, quas extra Deum in bonis hisce suis collocant. Vide quæ de pomo et verme ei innascenti dixi *Amos* cap. viii, 1.

Rursum hedera proprie diæta artissimum complexu arboris sibi implicat et vincit, ac vinciendo enecat: hoc idem faciunt avaritibus voluptates, et sæpe amasie. Quocirca olim Romæ Flaminii Diali nefas erat tangere hederam, atque adeo ne nominare quidem fas erat: ut significarent quanta puritas et castitas, æque ac libertas deceat sacerdotem. Nam amare, æque ac rebus terrenis animum implicare, mera servitus est. Inde proverbium: « Lascevis hederis ambulator. » Hinc et hedera dicitur quod hereat, quodque sequitur quidquid proximum est. Hedera, ait Festus, diæta quod hereat, vel quod edita pelat, vel quia id cui adheserit edat, quæ in tutela Liberi patris putabatur esse, quia ut ille juvenis semper, ita hæc viret; vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum illigat. Vinum ergo, honor et cupiditæ, que mentem illigant, sunt hedera, ideoque inimica homini: sicut « hedera, » inquit Plinius, lib. xvi, cap. xxxiv, « inimica est arbori, satisfecitque omnibus, sepulcræque ac muros rumpens,

serpentium frigori gratissima, ut mirum sit illum honorem habitum ei. »

Simile est de cucurbita, ut vertunt Septuaginta, ejusque umbra, de qua audi Theophylactum: « Cucurbita, ait, umbra est gloria hujus mundi; quæ quasi flos fœni nos refrigerat in afflictionum æstu, ideoque a nobis expellitur: sed fert eam vermis matutinus, scilicet conscientia nostra mordens, et peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim quasi sensibilis linea ossium cordisque ob oculos nobis ponens scelera, doceansque nos gravibus penis dignos, ferit cupiditatem gloriæ, illudque Prophete persuadet: Iram Domini sustinebo, quoniam peceavi ipsi. Et paulo post: Eo quod peceavi, flagris cæsus sum. »

LABORAVERAT ENIM. — Jonas restu corporis, circumcundò et prædicando ardente sole et magi æstu ac dolore animi, quod videret stum oraculum irritari.

7. PARAVIT DEUS VERMEM. — Sytus et Arabicus *Vers. 8.* uterque: *Præcepit Deus vermi*; *præcepit*, id est ordinavit, disposuit, inclavit, impulsi; insinatus enim naturalis in Scriptura vocatur *præceptum*. Per *vermem* accipe vel erucam, ut Theophylactus, vel teredinem, ut Arias; vel potius alitruem alium extraordinarium, nostris mordaciorum et voraciorum. Nam hæc vermem non fuisse ordinarium patet, ex eo quod subito hederam erodit in aurora, ita ut illa exaruerit et decidit, antequam sol incalesceret, et ferret caput Jonæ: hoc autem facere tam cito nequit vermis unus naturalis et ordinarius. Ubi nota: Pro *ascensu diluendi* Chaldæus clare verit, sub *ascensum aurora*, scilicet diei sequentis diem præcedentem ejusque noctem, qua nata erat hedera (1).

Allegoricè S. Hieronymus et S. Augustinus, epist. 49, *Quæst.* vi: Jonas, id est vetus Testamentum, habuit umbraculum hederæ, id est promissiones terrenas, quæ erant umbra futurorum in lege nova; has succedit Christus, qui est ipsa veritas, atque absque ullo semine oritur, et dicit: « Ego sum vermis, et non homo, » *Psalm.* xxi, qui inscribitur: *Pro susceptione malutina*. « Vermis, » inquit S. Augustinus, est Christus, « propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terrena sine ullo concubitu nascitur. Matutinus est, quia diluculo resurrexit. » Jonas, succisa hedera, dolet; sic Judæi, succisa lege Mosis, lugent, imo Christo et christianis indignantur.

Rursum symbolice S. Hieronymus: Sunt, inquit, qui vermem et ventum urentem Romanos

(1) Romphus apud Rosenmüller in *Herbar. Ambrosiani*, tom. iv, pag. 95, narrat, calidioribus diebus, tenui cadente pluvia in ea generari erucas nigras magna multitudine, ejus (ricini) folia per unam noctem depascuntur, ut nuda modo costas supersint, idque se scriptis non sine admiratione vidisse similis addit, arbusculæ olim Niviticæ.

intelligent duces qui, post resurrectionem Christi, Israel penitus deleverunt.

Vers. 8. 8. PRÆCEPTUM DOMINUS VENTO CALIDO. — Hebraice, vento כַּדִּים *kadim*, id est Orientali, puta Euro, qui calidus est, urens et torrens. Ita Pagninus et Tigurina (1).

Et ESTUARAT. — Tigurina: *Et pene exanimatus est astus*; ingens enim astus fuerit oportet, qui eum impulit petere ut moreretur. Unde Septuaginta vertunt: *Et angustiabatur et relinebatur anima sua*, uti habent Complutensis et Regia; licet Romana habeant: *Et angustiabatur, et tædit eum anima sua*; Chaldaeus: *Et erat deliquium animi patiens*. Tropologicè, sicut hedera quæ umbram faciebat Jonæ, corrosa a verme, sol aestuans percussit caput Jonæ; ita et tuis, o homo, viribus a morbo aut senio arrosis, mors te percussit.

Vers. 9. 9. BENE IRASCO EGO USQUE AD MORTEM. — Bene, id est *valde*; aut potius, *juste et merito*. Unde verit Pagninus: *Vehemens mihi ira est usque ad mortem*; Tigurina: *Justa est ira mea, ut etiam mori cupiam*; Septuaginta: *Valde contristatus sum ego usque ad mortem*. Sicut enim vehemens tristitia Christum adegit, ut diceret: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, *g. d.* Tristitia tanta est, ut pene me exanimet et vitam mihi adimat: sic et vehemens ira homines adigit, ut optent amantque mori; præsertim si eis obstat, ut difficultatem ob quam irascuntur amoliri non possint: tunc enim vehemens ira vehementem parit tristitiam, morem et desperationem.

Dolet Jonas de umbra hederæ, sic multi dolent et contendunt « de umbra asini, » ut vulgo dicitur, id est de re parvi vel nullius momenti. Fabulam ex qua natum est hoc proverbium narrat Aristophanes in *Vespis*, et Plutarchus in *Vita Demosthenis*. Mominet et Apuleius lib. *De Asino aureo*. Demosthenes, inquit, cum judices parum haberet attentos, ut eos attentos redderet, narravit fabulam, dicens: Quidam conduxerat asinum, quo Athenis venerat Megaram; in itinere ardente sole meridie non habens aliud umbraculum, depositis clitellis sub asino sedens, ejus umbra semet obtegebat. Ceterum id agasno non sinebat: hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini umbram. Alter item ex adverso tendebat, asseverans etiam asini umbram conductam esse. A rixa ventum ad verbera, inde ad jus et tribunal. Hæc locutus Demosthenes, repente descendit, et discessit. Revocatus a judicibus ut reliquum fabule enarraret, ait: « Itane de asini umbra libet audire, viri vero de vila periclitantis causam audire gravamini? »

Vers. 10. 10. TU DOLES SUPER HEDERAM, IN QUA NON LABO-

(1) *Ventum orientale*, calidum et urentem, qui fruges, vires et arborum fructus exurit, vide *Genes. xli. 6; Ezech. xvii. 10*. Est Eurus in Judæa ventus urens, quod callidissima deserta ad illius terræ orientalem plagam sita permesat. Plura de eo vide in Petri Zornii *Opusculis S. Script. tom. II, pag. 131 et 788*.

RASTI, — *g. d.* Si adeo dolere ob hederam vilem herbam, quæ cito nascitur, et cito perit, succisam; quanto magis una mecum dolere et penitere debes de interitu tantæ urbis, totque centenorum millium animarum, quot sunt in Ninive, eisque penitentibus misereri, et parcere? Sic hodie non desunt nobiles, qui magis dolent in morte equi, quam famuli; imo qui famulos emcant in cultura agrorum, ovium, avium, maluntque perdere hominem, quam falconem, equum, vel accipitrem.

Pulchre S. Ephrem, serm. *De Jona*: « Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam et prudentiam addisce, ac quanta sit vis divinæ clementiæ. Tu parcis cucurbitæ, et egos civitati. Tugurium tuum sit speculum civitatis. Tugurium abjectum queris, et urbem funditus evertis? ubi rectum iudicium tuum, o Jona? cucurbitam civitate potiore ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, et in civitatem durissimum ac severissimum te exhibes? » Et paulo post historiam Jonæ ita prosequitur: « Congregatique respicientes adorabant eum, ac munera cum decimis suis offerebant. Aperuit rex thesauros, et obtulit ipsi dona valde honorifica; uno omnium ore celebratus est Jonas, ingressusque in curru regio consedit. » Deinde subdit regem misisse viros qui Jonam in Jerusalem honorifice reducerent, et per hospitia commode tractarent; quos ipse appropinquans Jerusalem, osculo et amplexu salutans, dalaque illis benedictione, domum remisit: noluisse enim permittere, ut ipsi licet multum rogantes, urbem sanctam ingrederentur, ne viderent idola et scanda- lantia gentis suæ.

QUE SUB UNA NOCTE NATA EST, ET SUB UNA NOCTE PERIIT. — Hebraice: *Quæ filia noctis erat, et filia noctis periit*, id est quæ una nocte orta est, et una nocte periit. Ita Vatablus et Pagninus. Clare Chaldaeus: *Quæ in hac nocte fuit, sed nocte altera periit*. Prima enim nocte nata fuit hedera, quæ sequente die, cum arderet sol, Jonam ab æstu sua umbra protexit; sequenti nocte finiente, puta in aurora, vermis jussu Dei erodit hederam. Unde sol oriens afflixit Jonam, ut æstuarit, cupereque mori. Bidui ergo spatio hæc peracta sunt.

41. CENTUM VIGINTI MILLIA HOMINUM. — Hebraice, *duodecim רבבו*, id est *dena millia*, id est 120 millia: duodecies enim decem facit centum viginti. Ita Septuaginta, Pagninus, Tigurina que verit, *duodecim myriades*: myriades enim continet decem millia; aliqui qui sumas myriadem pro millione, falsum erit. Quis enim credat in Ninive fuisse duodecim milliones infantium? millio enim continet decies centena millia.

QUI NESCIUNT QUID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM, — id est pusillanimi et malum. Est proverbium. Phrasis hæc petita est a pueris: « Qui nesciunt utrum dextera an sinistra valentior, et usui cullibet aptior sit; quia nondum experti sunt: æqua-

Vers. 11.

liter enim adhuc pro tempore, quia nuper de vulva prodierunt, utrumque brachiolum, utraque manus omnino imbecillis est, » ait Rupertus, qui mystice id adaptat iis qui nesciunt quid inter Dei veritatem et hominum mendacium interit.

Ex hoc loco theologi, ac nominatim Gabriel Vasquez, III part. *Quest. LVIII, art. 8, disp. ccliv, cap. III, recte consulat Lutheranos, qui docent nos justificari præcise per fidem ex opere operantis, non per sacramenta ex opere operato: sacramenta ergo ad hoc tantum adhiberi, ut fidem recipientibus excitent, quæ justificetur: ac fidem recipientibus, qui in baptismo purgantur a peccato originali ac justificantur, elicere actum fidei quæ justificentur, sicut elieuit S. Joannes Baptista in utero matris, *Luce 1, 44*. Hoc enim dogma non tantum est contra omnem heresiam, sed etiam contra Scripturam hoc loco, quæ docet parvulos nescire quid sit inter dexteram et sinistram, id est non discernere inter bonum et malum. Si enim haberent fidem, utique discernere inter bonum et malum. Fides enim discernit virtutes a vitiis, æterna a temporalibus, Deum a creaturis. Nam, ut ait Apostolus *Hebr. XI, 1*: « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. » Quocirca hoc Lutheri dogma adeo stolidum visum fuit anabaptistis, ut ipsi maluerint docere parvulos non esse baptizandos; sed expectandum dum adolescant, et rationis compotes, actum fidei quæ justificentur elicant; potius quam admitterent parvulos ratione uti. Ecce in quas angustias, in quæ absurda hæresis agit Novantes. Quare S. Augustinus, lib. *I De Pecc. mer. cap. xxxv*, ridet quosdam pelagianos, qui in infantibus actualia peccata esse dicebant. Experimur enim, inquit, eos adeo usu mentis desitutos esse, ut nec ubi sint sentiant, et juxta se jaentibus mammis magis possint esurientes flere quam sugere: quippe qui nec mammam quidem ipsas, nec aliud aliquid novit. Quomodo Deum agnoscent, qui nec mammas, nec matrem agnoscent?*

Moraliter, discite hæc quæ magis deus clementior sit homine etiam sancto, quamque salius sit contigere ad Deum, quam ad hominum tribunal. Si Jonas in causa Ninivitarum fuisset iudex, tulisset in omnes, licet penitentes, ob præterita scelera, sententiam mortis, eo quod hanc tulisset Deus ante eorum penitentiam; verum Deus contrariam fert sententiam, quæ eos ob penitentiam a morte absolvit. Ita David proposita ei a Nathan optione gladii, famis et pestis, elegit pestem, dicens: « Melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt), quam in manus hominum, II *Reg. xxiv, 14*. Errat ergo Seneca, lib. *II De Clementia, cap. v*, dicens « misericordiam vitium esse pusillanimi, ad speciem alienorum malorum succidentis. » Verius Aristoteles, lib. *II Rhetor. cap. viii*: « Sapiens, ait, misericors est, insipiens immisericors et inverecun-

dus. » Hoc est quod proficitur Ecclesie in Collecta Dominicæ decimæ post Pentecosten: « Deus, qui omnipotentiam tuam parendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cælestium honorum facias esse consortes. » Unde Biblia Gothica hic in fine Jonæ addunt, eumque hæc sententia concludunt: « Sed parcam et miserebor eis, quoniam magnum est nomen meum. »

Rursus Deus hic docet Jonam nosque omnes, conformare nos voluntati divinæ per omnia, ut cum opus aliquod jubet, illico alacriter et fortiter illud inchoemus et prosequamur, cum vero ab eo cessare jubet, vel illud fructu et effectu suo frustratur, illico tranquilla mente cessamus, et patienter feramus opus et laborem nostrum suo destitit fine et fructu. Quid enim querimus, nisi facere voluntatem Dei, eique per omnia nos conformare? At voluntas Dei jam est, ut opus inchoatum relinquas, imo destruas; ergo illi acquiescere: alioqui non Dei voluntati, sed tue phantasiæ et cupiditati servis. Atque hæc in re consistit anime sancte perfectio, ut in omnibus actibus et eventibus, tam adversis quam prosperis, plena resignatione humillime et integerrime quisque se Deo resignet, ac quidquid evenerit acquiescat, et tranquilla, imo jucunda mente de Dei manu accipiat; denique gaudeat hæc in re Dei voluntatem impleri, dicatque cum S. Job: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placeuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. » Ita Abraham jussus immolare filium, strinxit in eum gladium; ut ubi sensit se revocari ab angelo jussu Dei, illico gladium in vaginam reposuit; ac sicut non fuit contristatus, cum accepit a Deo mandatum immolandi filium: sic nec gavisus est, cum Deum hoc mandatum revocantem, et filio partem audivit, quorum utrumque fuit actus magni et heroici animi, totum se Deo tradentis, ideoque ad omnia indifferentis et parati. Sic S. Ludovicus inspiratione Dei traiecit in Terram sanctam, ut illam Deo et Ecclesie restitueret: ac omni hoc sui conatus fructu frustratus, imo captus, tranquille conquievit in Dei beneplacito. Utique hæc tranquillitas acquiescendi par, imo major fuit magnanimitate tanti operis et expeditionis. S. Franciscus Dei instinctu profectus in Ægyptum ut Soldanum converteret, aut ab eo martyrii laurea donaretur, cum neutrum succederet, tranquillus rediit, totum se Dei voluntati resignans. Idem fecere alii Sancti. Quocirca S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, ita sum in Dei voluntatem transtulerat, ut diceret: « Si causa aliquo Societas a me inchoata, et tantis laboribus promota, dissolveretur aut interiret, post mediam horam in oratione positam, nullam ex illa re, qua nulla mihi tristior accidere posset, molestiam, Deo adjuvante, caperem. » Sancti ergo sinunt se gyrrari et regyrrari a voluntate Dei, sicut equus gyrratur et regyrratur a sessore.

Moraliter.